



L. d. 38  
Cont

Th. hist. R. IV. fol. 762.

201.

20

LIBELLUM  
E S A I Æ  
CAPITE XIIIX  
Interpretibus obscurum

*Publice recensabit ac illustrabit  
proximo die Lunæ*

d. XI. Sept.  
Ann. MDCCXIII.

HERMANNUS von der Gardt.



*HELMSTADT,*  
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.





Auditoribus, Fontium sacrorum cultoribus,  
ingenuis & indefessis.

**P**ertexuimus, superiori mense Augusto, geminam, nobilem, & usu abundantem doctrinam, de Accentuatione, aut Fontium hebraicorum pronunciacione, nec non de re veterum Hebreorum musica. Conjunximus utrumque argumentum præclarum, non, quod accentuatio hebræorum ex autorum instituto musicæ sint notæ, sed, quod decens & mascula pronunciatio, non quidem cantus sit, modulationis tamen & asseverationis virtute aliquantis per ad deorem cantus accedat. Quomodo Ciceroni, Quintiliano, aliisque veteribus, digna autoris lectio & viva pronunciatio obscurus appellatur cantus. Quæ soni affinitas, in varia vocis inflexione, in dictione vel lectione, & musica, diversum utrumque argumentum combinare, per intervalla tamen sua illustrare, vestri studium & enixum profectuum vestrorum desiderium suavitat. Utraque res, ardua profecto, nusquam ferme pro dignitate satis vel explorata vel explicata.

Fontium lectio aut pronunciatio vulgata, sine sono, sanguine & nervis, sine sensu & usu. Præceps, & peritissimum,

):( z

rum,

rum, libelli cujusdam, in Mōse aut prophetis, *recitatio*, nec intervallis suis justis, longis & brevibus, distincta, nec diversa vocis flexione, elatae aut depressae, divisa, non sermo est, ut oportebat, non lectio, sed tumultus, strepitus, unius plerumque soni fluetus semper idem. Qualis *tumultuaria Fontium sacrorum profusio*, incondita lectio, legentem non jucvat, & audientem fallit, ut neuter capiat aut intelligat. Ni sit, in ipso lectionis cursu, in vocibus, vocumque s, llabis, suis locis, *juxta remora*, magna aut parva; *præcipitium*, ut est *vulgatum*, judicium mentis, de sensu & scopo autoris, fuffuratur & extinguit. Ni quoque, pro suis intervallis, *soni sit mutatio*, pro rerum & affectuum, in scriptore, diverso habitu, lectio est frigida, exsucca, exsanguis, tædiosa, inanis, & sine insigni fructu. Utrumque pronunciationis aut lectionis momentum, suis vinculis cohærens, vitam scriptori addit, lectori iudicium, auditori fructum. Debita in legendō orationis interstitia, & aptæ suis locis suavesque remoræ, cum congrua, modesta, gravi, nativa, non quæsita, vocum & soni intentione ac remissione, scriptorem sistunt vivum, vegetum, præsentem, qui coram dicere videatur.

Non existimandum, peculiarem illam esse Hebraicorum Fontium lectionem, quæ ab aliorum autorum lectione discedat. Norunt periti & sagaces Scholarum retores, suoque exemplo in autoribus explicandis demonstrant, quanta sit dignitas, in Poëtarum, Historicorum, oratorum, græcorum ac latinorum, vernacularorum pariter, genuina, mascula & apposita pronunciatione. Horum siquidem est, floridis illis ætatis annis, in digna autorum quorumcunque recensione, os mentemque discentium formare, ut scriptorem, poëtam, oratorem, historicum, legendō & pronunciando vivum sistere discant, qui coram eloqui credatur, quæ quondam scripsit.

Vir-

*Virgilii, Horatii, sermo dulcis, ligatus, nisi, in mollissimis  
illis vinculis, distinguatur, retineatur, suaviter diducatur,  
sonoque apto & vario, pro vinculis illis plus minusve tensis  
aut laxatis, animetur, susurrus est, somnium est, aut balbu-  
ties, sine dulcedine, sine sale, sine omni virtute. Ast, ubi,  
in ipsis itis sermonis poëtici vinculis, in pronunciando, sua  
supr<sup>r</sup> retinacula & intervalla, pro eorumque varietate, pro  
affectuum gradibus, sonorum iusta temperatura, Poëtæ os &  
frons coram inspicitur, nervi in manibus videntur, Virgi-  
lius auditur, præfens, cum voluptate & fructu infinito. Ci-  
ceronis oratio, in præcipitino stro ore, frontem viri obnubit,  
os claudit, fauces obturat, ut non vir dicere, sed dormiens ster-  
tere videatur, aut vix ac ne vix quidem spirare. Sed sui oris  
sonus, pro intervallis suis, virum è mortuis suscitat, colo-  
rem fronti reddit, & ori animam atque calorem confert. Discen-  
di satietate, ubi autores, sine discriminè, digne & decenter ef-  
feruntur ac pronunciantur. Quæ scriptorum est vita, & ad  
verum plenumque sensum via regia.*

*Quod omnes autores recensendi sibi vindicant, sacri scripto-  
res pari jure sibi tribuunt, si non majori. Quo sunt res ma-  
iores, digniores, celsiores, ed & scripti talis lectio sit curatior,  
distinctior, vegetior & numerosior. Hanc monumenta sa-  
cra recte digneque legendi vim, & venerabilem usum, He-  
bræorum gens juvare contendit curioso & curato signorum ap-  
paratu, qui pro rerum & affectuum in scriptore variatione,  
tum sermonis & vocum, syllabarum etiam, suis locis, justa in-  
tervalla, minora, maiora, tum pro intervallis illis sonum quo-  
que flexum, elatum aut remissum, luculenter, concinne & ar-  
tificiose effigiat. Qui accentuum, aut signorum horum,  
usus inexplicabilis, pro decora, venerabili, gravi pro-  
nunciatione.*

):- ( 3

In-

*Instrumentorum pariter sacrorum, in ecclesia veteri Judaica,*  
ingenti numero, *notitia*, ut jucunda, ita pro veteri cultu sa-  
cro cognoscendo, summe est necessaria. Scire oportet, quæ  
in *sacris fuerit rei musicæ conditio*, quæ plus millies in monu-  
mentis sacris attingitur. *In quotidianis sacrificiis matutinis,*  
*תְּמִימָה*, quis *chorus musicus*: *Quis Levitarum cantus*: Qui sa-  
cerdotes isti choro adjuncti: Quæ horum instrumenta mu-  
sica: Quantus in quotidiano illo choro musico Levitarum  
numerus: Quæ, pro spectabili perenni numero, diversa in-  
strumenta musica, inter singulos distributa: Quæ in musica  
in feriis publicis differentia: Quæ extraordinaris fatis & ca-  
sibus mutatio: Quæ & in singulari Collegio musicō, in templi  
meditullio, noctibus festi tabernaculorum, celebritas, festi-  
vitas, & religio publica, in omnis generis instrumentorum  
concentu, non sine vario cantu, nec interdum sine tripudiis,  
quæ orienti in *sacris* non insueta.

Singula autem isthæc *organa musica*, pro permagna sup-  
pellectili, prout à scriptoribus *sacris* sunt commemorata, si-  
ve in libris historicis, sive in *Psalmis* eorumque inscriptio-  
nibus, verè & exacte describere, res credita hactenus de-  
sperata, *Judæos* inter & *Christianos*. *Kircherus* in *Musurgia sua*, in hoc argumento remotæ antiquitatis tam parcus,  
tam tacitus, ut, cum non penetraret, saltu præterire ma-  
luisse quām vel nominare videatur. Quæ ex Schilte Hag-  
giborum, *Judaico* commentario, nimis prona fiduciâ, ad-  
fert, æque parum consonant; quod *Judæi* à *Christianis*  
quondam similia acceperint, fide æque temeraria, & sibi  
vindicarint. Quod artificium millies illis placuit, fortuna  
indignante. Amulati nostros, nec feliciter, quia imperi-  
te. *Hæc etas rebus priscis dignoscendis aptior paulo, indies*  
*illis, ignotis hactenus, viam & lucem monstrat.* Qua fati  
be-

benignitate & nos usi, in illis sigillatim explicandis. Sint nervi aliqui, adhuc, pro veritate penitus cognoscenda, intendendi, utimur præsentibus iisque gaudemus. Memores semper effati veteris, quod superiori die lunæ, IV. Sept. quando ante nundinarum ferias, præclarum hoc argumentum absolvimus, recensere contigit :

Ἐτις ὥλθος  
ἐν αὐθεώποισιν,  
ἄνευ κακάς οὐ φαίνεται.  
Ἐκ δὲ τελευτάσει νιν,  
ἥτοι σύμερον,

Δαιμων.

Τόγε μόρσιμον,  
οὐ παρφυκτόν.

Ἄλλ' ἔσαι χρόνος ἔτος,  
οὐ καὶ τιν' αἰελπίᾳ βαλῶν,  
ἔμπαλιν γνώμας,  
τὸ μὲν δώσει,  
τὸ δὲ σπέω.

Si que est, & in artibus ac disciplinis excolandis, veritateque investiganda, felicitas, non sine magno hominum constat labore. Deus autem, & vel bodie, dum minime credimus, eam perficeret

*re potis est. Erit sane tempus, quod, tametsi studium appareat  
deperatum, præter expectationem quedam largiatur, et si aliqua  
differat.*

Quando igitur, illis rebus pro scopo & fato expeditis,  
incidit in orationibus Esaiæ , c. *XIIX*. mentio peregrina  
vocis יְלִיל , quam *cymbalum* volunt Commentatorum & in-  
terpretum non postremi , libet , in gratiam auditorii soler-  
tis, *integrum libellum Esaiæ*, c. *XIIX*. nullibi apud interpre-  
tes consonantem, publice recensere. Ut liqueat, non *instru-  
menti musici* , sed *regionis* & *populi* hic esse characterem.  
Quod pro veteris etiam *historie* & *geographie* studio , opti-  
mo & certissimo Exegeteos præsidio , magis magisque illu-  
strando, admodum spectabile erit momentum. Ordie-  
mur hanc operam, proximo die lunæ, deo providente.

P.P. in Academia Julia A. M D C C X I I I .  
die IX. Sept.



AB:153257




St

1017

R





LIBELLUM  
E S A I Æ  
CAPITE XIIIX  
Interpretibus obscurum

Publice recensabit ac illustrabit  
proximo die Lunæ

d. XI. Sept.  
Ann. MDCCXIII.

HERMANNUS von der Hardt.



HELMSTADT,  
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

